

Articulus Decimus 1654.

Decernitur etiam: ut stipendia merentes Regnicolae, loco personarum suarum et a portis quoque suis, adinstar aliorum Regnicolarum, nec non etiam quomodocumque in Regno possessionati, tempore Generalis Insurrectionis alios milites expedire cum caeteris Regnicolis debeant et sint obligati.

Articulus Undecimus 1655.

Articuli huius Regni de laesionibus Judicum Nobilium conditi, ad laesiones etiam et iniurias Vice-Judium, in officio procedentium, extendantur, cum ea declaratione, ut ipsis Vice-Judium non floreni Hungaricales trecenti, sicuti Judicibus Nobilium, sed medietas ipsorum, in sedibus Judiciariis Comitatum, modo et ordine in praescriptis articulis declarato, adiudicentur.

Articulus Duodecimus 1655.

Conclusum etiam est: ut unius sessionis Nobiles, damna aliis inferentes, aut debita contrahentes, nullasque res mobiles pro executione habentes, per detentionem etiam personae ad satisfactionem compelli possint.

Articulus Decimus Tertius 1656.

Statutum insuper est: ut in capiendis Praedonibus et aliis malefactoribus, quos Leges Regni capiendos admitterent, ubi Magistratus per se insufficientes essent, talibus Magistratibus brachium peditum Regni Domini Vice-Capitanei ipsorum subministrare debeant; et si Domini Terrestres subditos suos malefactores ad admonitionem Dominorum Comitum vel Vice-Comitum punire nollent, extunc tales Domini terrestres simul cum subditis malefactoribus in sedem Comitatus evocari possint.

Articulus Decimus Quartus 1659.

Statutum pariter est: ut Libera Regia Civitas Montis Graecensis Zagrabienensis mandatis legitimis Domini Comitatus Bani, veluti Judicis istius Regni ordinarii, locum dare debeat, innuente id ipsum etiam Articulo 45 Anni 1659 Diaetae Poseniensis.

Articulus Decimus Quintus 1660.

Ratione mercium ex Turcia importandarum, conclusum est: ut pro exigenda Tricesima ordinaria et autione, a talibus mercibus proveniente, Caproncae, vel in Dernie, locis Tricesimalibus, erigatur, ibidemque ab inducentibus legitima Tricesima exigatur; a rebus tamen, per captivos pro Lytro inferendis, tricesima exigi non debeat.

Articulus Decimus Sextus 1674.

Innotuit Statibus et Ordinibus Regni, nonnullos Regnicolas, inquietudine sua et causarum propriarum diffidentia motos, ordinarios Iuris processus, forum-